JACOBI BARZELLOTTI

PHILOSOPHIAE, MEDICINAE,
AC CHIRURGIAE DOCTORIS

Collegii Medicorum, Accademiae R. Scientiar. Senensis, Antiquitat. Volater. Haetrusc. Corton. Economicae Florentinae, Scientiar. Liter. et Artium Italicae Membri, ac in R. Universitate Senarum P. Chirurgiae Theoreticae Professoris.

DISQUISITIO ACADEMICA.

„TUTANE TANDEM VITA ET SANITAS„
A VARIOLIS? „

SENIS 1806.

Ex Typographia Honorati Porri.
Cum Approbatione.

LAURENTIO BARZELLOTTI
ARCHIPRESBYTERO ECCLESIAE PLANI IN PATRIA AMIATINA, FRATRI SUO NATU MAJORI,
JACOBUS BARZELLOTTI,
IN SENEN. LYCEO PUBL. PROF.
SALUTEM.

En de Variolarum inoculatione opellam, quam tuo nomini, Optime frater, inscriptam, in lucem edere statui. Gaudeo vehementer opportunam mihi sese obtulisse occasionem, ut nimirum quanti te facerem, & quantum tibi deberem, grati, devinctique animi publico declararem argumento. Memoria teneo solida et singularia tua in me beneficia, ac numquam obliviscar quanta ab adolescentia, me unum prae caeteris fratribus benevolentia semper fueris prosequutus. Tu mihi Literarum, & Liberalium Artium semitas tutas ostendisti, atque calcar admovisti, ut studiorum curriculum absolverem. Tu, ut onus, ob commune humani Generis bonum a me susceptum, tibique semper acceptissimum, fortiter, constanterque substinerem, animum addidisti. Tandem tu, dilectissimo, ac desideratissimo nostro Parente vita functo, ita ejusdem partes gessisti, et geris, ut domus nostra viduata nunquam visa fuerit, nec videatur. Si quid ergo boni in me est, si quid valeo, totum hoc quantum est,

ibi me debere, etiamsi non ego ultro, ac libentissime profiterer, res nihilominus ipsa per se loqueretur. Quae cum ita sint, non mihi profecto, non aliis dubium, quin haec de Variolarum, et praesertim vaccarum inoculatione, deque naturalium exequiis, aliquantula disceptatio, ad te unum maxime pertineat, tibique non injucundam fore confido. Nam tibi semper cordi maxime fuit & est, hominum non spiritualis tantum & aeterna, sed & terrena atque temporaria, quoad fieri potest, perfecta salus. Et (quod praecipuum, atque hisce temporibus admirandum) dum novam hanc inoculationem, veluti anchoram sacram vitae, & sanitatis sobolis, ac tutamen certum ejusdem a Variolis naturalibus respicis, eam Parentibus praedicare, renitentibus suadere, atque invitis ad eam amplectendam quodammodo compellere, uti nonnulli Ecclesiae Principes non sine laude fecere, nullo unquam tempore desines. Jure propterea, meritoque publicam hanc tibi ipsi grati animi testificationem, non tam offerendam, quam reddendam, persolvendamque judicavi. Quam si pro amore in me tuo, aequi bonique feceris, jam hoc ab uno arbitror, laboris hujus me fructum amplissimum consequtum. Vale.

BENEVOLO LECTORI

FELICITATEM

Unde mihi id consilii in mentem venerit, ut ad unam de Variolarum inoculatione disceptationem animum adiicerem, simpliciter & candide dicam, Lector Optime. Quum id ferant pervetusta Regiæ hujus Universitatis Senensis decreta, ut quisque in sua Provincia Professor, juvenes, qui in hac ipsa celeberrima Academia, legitimum operæ, ac temporis cursum laudabiliter, honesteque confecissent, doctoris Laurea insignire valeat, habita tamen prius de una, vel altera in propria facultate ad uniuscujusque libitum quæstione; mihi in hoc ipso munere fungendo, dum nimirum anno 1804 optimo Adolescenti Philosophiæ, ac Medicinæ Lauream impertivi, ex multis hoc unum seligendum placuit de variolis argumentum; & eo magis hoc arrisit, quod occasionem mihi præbebat ad variolarum Vaccinarum insitionem, a me primum hac in Civitate invectam, a nonnullis objectionibus ac difficultatibus vindicandam. Cum autem tunc res pro votis cesserit, quumque magis in dies apud alias gentes illam ipsam inoculationem imperium suum latissime proferre, & hoc potissimum anno 1806 ita & apud nos mirum in modum acceptam esse, atque prolatam, ita ut absque ullo discrimine universalis evaserit, optimum duxi, disceptatiunculam, quam tantum academico usu scripseram, pluribus casibus atque animadversionibus auctam,

& illustratam, publici juris facere. Excipe igitur, Lector benevole, hanc laeto animo: et si tutissimis experimentis per universum pene orbem institutis, uti & apud nos, fidem non denegas; si rationes a me prolatas, illas a nonnullis objectionibus satis superque vindicant, allicere omnes ad eas haud prætermittas, atque altius significare ,,

Tutam tandem esse vitam & sanitatem a variolis = Vale

DISQUISITIO ACADEMICA

TUTA NE TANDEM VITA ET SANITAS A VARIOLIS?

Inter multa, eaque varia morborum genera, quibus misera hæc nostra vita est obnoxia, quæque contagiosa appellantur, & reapse sunt, si quis uniuscujusque singillatim naturam, proprietates, effectus & circumstantias serio, ut par est, pacatoque animo scrutetur, atque perpendat, Variolis principem locum concedendum, denegare certo certius ille non poterit. Non me latet pestem bubonicam admodum lethalem esse, hominibusque omnibus infestam; nam plura mortalium millia vel uno die in vitæ discrimen adducit, atque necat. Nihilominus hæc ipsa cum Variolarum morbo collata, minus fortasse humano generi infesta, atque noxia deprehenditur. Siquidem pestilentias raro grassari atque saevire; & cum saevierint, rarissimum esse, quod iterato in eodem saeculo adversus eamdem Provinciam grassentur, certissima probant historiæ monumenta. At contra Variolas, pueris quam maxime infestas, lethali contagione ferme quotannis quaquaversus grassari, & si decennium intermittant quin se proderent, postea tamen perniciosius quam antea recruduisse, magnisque cladibus provincias, regionesque vastasse, ex Variolarum historiis compertum habemus. Omnium ergo morborum perniciosissima olim erat Variolarum pestis; in præsens autem, nullo modo formidanda. Alba pueris stella hoc in genere tandem, Deo opitulante, effulsit. Ab uno siquidem ferme saeculo adinven-

ta est methodus, & in Europam invectam; qua pestifera variolarum vis, declinaretur, vel restingueretur, inoculatione scilicet earum; & ab hac una inoculatione, auspicati tandem fuimus, & quidem merito, Variolas corporibus nostris, facile innocuas effici posse, aut saltem minus offensas. Cæterum, dum hoc salutari invento contenti eramus, & nil ultra requirendum opinabamur, casu nova nobis, facilior, felicior, ac tutior patefacta est, extremis sæculi decimi octavi annis via, qua naturalibus Variolis infensissimis ita occurritur, ut levissima incisione, levissimo excitato morbo, pueri ab illis liberi evadant, & eorumdem vita in tuto collocetur. Et quaenam erit tanti boni efficax causam? Quæ? Inoculatio utique ex Vaccarum Variolis facta; assertionis hujus tot argumenta indubia afferri possent, quot sunt innumeri pene pueri qui hujusce generis incisionem, & inoculationem semel experti, absque ullo salutis periculo, sive detrimento, naturalium Variolarum immunes constanter fuere. Quid igitur obstat cur hæc ipsa methodus, non una omnium ubique sententia probetur? Nihil profecto. Verum, cum nulla fere sit veritas sive virtus, licet contestata maxime, quæ in crimen, in invidiam, vel in dubium saltem vocari non possit, idcirco hac aliquantula disceptatione, argumenta, quæ hinc inde sive pro, sive contra ea in causa urgentur, in medium afferre constitui, ut inde clarissime constet, quam partem quisque sequi teneatur, ac tuta ne tandem sit vita & sanitas a Variolis. Exordiar autem a Variolarum historiis. Dein inoculationis naturalium inventionem & fata exponam. Tandem de Jenneriana nova inventa inoculatione agam. Sicque ob oculos quidquid ad Variolarum quæstionem spectat, clare, dilucideque, ni fallit animus, ponam.

Variolæ morbus contagiosus a sæculo VI, aut saltem VII ærae Christianæ notus, Arabiæ forsan indigenus, ac per incursiones Arabum, Mahometto imperante, in Palestinam primum, finitimasque regiones delatus, ibi suas clades inivit. Hinc a Saracenis in Hispaniam, Europamque sub finem tantummodo sæculi XI, aut initium XII perlatus fuit; ac postea per mille hucusque annos huc illuc grassatus, Civitatibus, provinciis, regnisque, immensas attulit calamitates. Saeculo XIII Angliam, Galliam, Germaniam, Italiamque petiit, cum a Palestina forsan a militibus cruce signatis reducibus delatus, intactis adhuc Europæ regionibus, una cum læpra, magnam cladem, magnumque intulit excidium. Sæculo XV ad finem properante, detecto a Columbo novo Orbe, cum illuc a vetere homines bellicosi irrupissent, una cum omnibus belli calamitatibus, Variolas, ignotis gentibus, ignoto usque dum orbe, detulere. At dum multorum avaritia & crudelitas, undique fontes ac flumina auri captabat, licentia atque voluptas, ne dicam nefanda libido, crudelissimum morbum nacta est, quem quasi hostimentum ab illis gentibus Europeis impertitum, una cum Thesauris in Europam reduces invexere. Nihilominus re bene perpensa, minus certe perniciosam nobis siphilim, quam Variolas illis fuisse non dubitandum. Nam initio seculi XVI major pars accollarum Hispaniolæ (hodie S. Dominici) a Variolis interiisse fertur. Circa hoc tempus in Americam meridionalem, virus Variolarum advenæ Europæ asportavere, ac dimidia pars earum gentium interiit. Initio seculi XVII Variolæ a

Brittannis in Americam settentrionalem delatæ fuere ; ac in his regionibus propter Variolas magna clades fuit . Usque ad annum 1643 , Brasilis tam atrocis morbi expers fuit; sed postquam illuc pedem intulit, ibi quoque horrendas edidit strages. In Indiam Orientalem ac insulas adjacentes a Batavis tam sævus morbus delatus , ubertosissimas illas regiones calamitatibus ac funeribus obruit . Medio ferme seculo XVIII in Borussorum regno, Dania , Svecia , ac cæteris Nordicis regionibus, Variolæ invaluere . Ad insulas Ferroas , ac Islandicas regiones hieme pene gelatas , cum Variolæ accessere , pene omnes interierunt . Ad caput Bonæ Spei , Batavi ex India Orientali reduces , circa annum 1718 , Variolas detulerunt , tantaque ibi acerbitate sævierunt , ut tota ferme colonia pessum ierit . Apud Tartaros Variolæ primum adparuere circa annum 1723. In Groelandia anno 1733. In Insula Minorica, circa annum 1745, & totum fere orbem cum Variolæ infecissent, pluribus gentibus lethales fuere , suntque singulos in dies .

Tanta calamitate populi perculsi , jamdudum methodos excogitarunt , ut vitam a vi morbi tueri possent , atque apertissimam lethi viam declinare . Remedia itaque interna , ut morbum mitioris indolis redderent: externa præsidia, ut præcaverent a morbo , atque ita excogitata , ut in promptu omni tempore haberentur , & morbus a populo arceretur . Ast partim utpote futilia ac vana , partim barbara , partimque impossibilia , parum ferme aut nihil hominibus profuere . Interea circa Caspium mare, fertur, methodum casu forsan adinventam fuisse, qua Variolæ benignissimæ efficiebantur . Nimirum , virus Variolarum , aciculæ punctura , in corporibus alioquin sanis insitiendo , seu morbo excitando hoc artificio , ut homines naturalibus Variolis immunes essent . Et

credendum sane rem feliciter in universum cessisse. Nam ab immemorabili tempore haec praxis apud eos vigebat, et ut olim, ita & in præsens obtinet, si relatoribus fides non sit deneganda. Arbitrantur nonnulli, hanc methodum ex his locis in Greciam translatam fuisse; dein in Tessaliam, ac postea pluribus gentibus innotuisse. Anno 1672, Byzantium novam methodum excitandi per insitiones benignissimas Variolas, Mulier Mussulmana invexisse, narratur; & vel aciculæ punctura, vel pulverem à pustulis Variolarum deciduis confertam naribus apponendo, virus in corporibus insinuabat, atque morbum excitabat. Experimentum tutum et innoxium effecit, ut Græci Christiani, Armeni, qui Byzantii morabantur, hanc methodum læto animo amplecterentur, exceptis Mussulmanis, religionis causa renitentibus: atque hinc fama insitionum huc illuc didita, Byzantium veluti emporium factum est, quo universa Europa ad benignam methodum inoculationis Variolarum addiscendam convolavit.

Circa annum 1718, inoculatio Venetiis innotuit. Le-Duc, qui inoculationem Byzantii expertus erat in semetipso, eam in Galliam traduxit; ac generosa, singularis & celebratissima Montague, redux è Constantinopoli in Angliam circa annum 1717, proprios liberos inoculationi subjecit. Mirandum sane, ab anno 1713, quo in Italia inoculatio innotuerat, studio et opera doctoris Pilarini, usque ad annum 1754, quo Liburni primam inoculationem ipsa Italia experta est, Medici, Philosophi, Magistratus, Principes, eam parvi fecisse, ac per quadraginta annos et ultra, humanitatem hac ferocissima peste oppressam, tanto præsidio defraudasse. Et si causas inquirere alicui placeret, cur sero Italia inoculationem va-

riolarum adsciverit ; non mirabitur forsan quotiescumque consideret, hocce novum inventum tot tantasque contentiones, contradictionesque in Anglia & in Gallia excitasse, ut ab hac dein publico decreto exulaverit, in illa aliis de causis omnino obsoleverit.

Fata hinc Variolarum inoculatarum narrare si vellem, usque ad annum 1738, longiori sermone fastidium profecto moverem. Inventum hoc, ut cætera inventa, discussionibus, opinionibus, præjudiciis, cæterisque passionibus humanis obnoxium esse oportebat. Sic faustissima chinæ chinæ inventio contra febres periodicas: sic mercurii contra morbum venereum, et cætera his similia, idem fatum subjerunt. Ast repetitis secundis experimentis, iterum quemadmodum chinæ chinæ et mercurii usus, et inoculatio splendidior effecta est. In rebus humanis, ut plurimum opinio non sana, inexperientia, audacia, ac si quæ aliæ privatæ passiones, utilioribus inventis, famam tollunt ac fidem. Habet tamen sua sidera humanitas. Inventa ad bonum pubblicum excogitata ad vitam sanitatemque fulciendam, reviviscunt ut plurimum ob necessitatem, scilicet ob mortis timorem; et a comptentu situque in quo senta jacebant, iterum in usum iterumque revocantur. Sic Variolarum insitionem, postquam obsoleverat, iterum in usum revocarunt Angli anno 1738. Et post ingentes strages in Carolina a Variolis effectas dum epidemia crudeliter sæviebat, earundem regionum incolę, ad illam ipsam insitionem, tamquam ad sacram anchoram confugerunt. In Belgia anno 1750, in Germania ac in Gallia circa annum 1753, in Elvetia anno 1756, restituta est. In alias autem Europæ regiones, quo nondum adventarat, ut et in totam Italiam, tandem feliciter invecta est.

Variolarum insitionis methodus longe lateque per universam Europam in usu habita, feliciterque ad dimidium ferme saeculum comprobata, sævas hujus morbi epidemicas constitutiones, rariores, mitioresque reddiderat, ac multos homines a morte liberarat. Nam Variolas quotannis huc illuc per insitiones excitando in corporibus cæteroquin sanis, anni temporibus appositis; corporum opportunitatibus captis, medica prophilaxi rite adhibita, longe mitius in corporibus pus variolosum reddebatur; scilicet variolas boni moris in corporibus excitando, meliorem naturam virus ipsum induebat. Et res eo erat feliciter adducta, ut per insitionem Variolarum decem et amplius ex centum qui a Variolis naturalibus corripiebantur, hac methodo ab orci faucis subducerentur, etiamsi inter pestiferas Variolarum epidemias institueretur insitio. Lubentissime recordor, me anno 1800, dum sævissima Variolarum epidemia in Patria Amiatina grassabatur, ex qua cum domum adivi, 35 jam miserrime a Variolis occubuerant, centum & amplius Variolas insitivisse, atque ne unum quidem interiisse.

Merito itaque Philosophi et Medici mirabantur, hanc ipsam variolarum insitionem non fuisse ab omnibus probatam, cum saltem decima pars humani generis hac methodo servaretur. Nec illi ipsi Viri graves atque sapientes, firmius clariusque humanitatis veræque philantropiæ argumentum suis similibus certe præbere potuissent, quam eosdem insitionibus juvando; nec melius tutis experimentis, rationibus addere fidem. At ratio si interdum benigne excipitur ab hominibus ingenuis nec rudibus, ut plurimum apud populum nihil valet. Vulgus exemplis non rationibus movetur, atque famam Variolarum insitionum extendere factis, hoc erat medicorum opus. In re-

bus gravissimis ut in hisce ; permagni interest , exempla a majoribus proficisci. Exempla enim majorum , plerumque leges minorum fiunt ; atque hinc factum est , ut in aula Principum admissa inoculatio , et in liberis ipsorum probata , Magistratuum auctoritate firmata , philosophorum ac medicorum rationibus vindicata , videretur jam ejusdem sors , satis superque tuta atque sancita . Nec tamen immerito : Cum certo constaret , ex tot millibus inoculatorum rite numeratis , vix unum e centum mortem obiisse . Secus autem eveniebat de illis , quibus Variolæ naturales superveniebant , cum novem saltem ex centum vita decederent . Insitionem ergo Variolarum , utilissimam ob plurimorum Civium vitam servatam , et procul dubio Variolis naturalibus anteponendam , ex dictis luculentissime patet . Habetur enim a Variolis insititiis morbus mitior, eruptio postularum regularis, discreta , nec gravissimis symptomatibus stipata ; ergo inoculatio naturalibus Variolis præferenda . Deformitates, ophtalmiæ , surditates , cæcitates , atque aliæ affectiones , naturalibus Variolis non raro contingentes , in insititiis præcaventur; ergo ex his una cum cæteris rationibus rite collatis, insititias Variolas , naturalibus præponendas , recte a medicis statutum est .

Nihilominus inoculatio Variolarum ultra quadraginta et amplius annos in variis Europae regionibus instituta , non ut in votis erat , ab omnibus fuit probata , nec universaliter excepta . Cujus rei causa, aparentibus magis forsan repetenda ; qui nimirum non laeto animo illam amplectebantur, nec tutam plane ac securam, hujusmodi egida , dulcissimam sobolem existimabant . Nec mirum videri debet , si parentes generatim eam reformident , cum ex catalogis inoculatorum certo constet probabilitas , imo certitudo , unum in-

ter centum mori, nemoque sibi blandiri possit, se fore unum ex nonaginta novem fortunatis, nec potius infelicem illum, quem manet sors inimica et adversa Non trepidat certe Philosophus, non Medicus, nec Politicus, unum mori ex centum inoculatis: quinimo gratulantur, se novem hac methodo a pallidae mortis faucibus eripere potuisse. Non trepidat Imperator militum, si post partam victoriam intelligat, bis mille suorum & ultra interiisse. Lugent tamen, trepidant, contristantur parentes de amissis liberis, uxores de perditis maritis, sorores de fratribus interemptis in flore juventae, patriaque ipsa plorat tot civium interitum, quamvis gloriosa morte occubuerint. Haud secus contristantur, trepidant ac lugent parentes, quibus sors contigit adversa, filium ob Variolas insititias vita functum aspiciendi, exprobrantque sibi, morbum in ipso alioquin sano excitasse, ac mortis causam occasionalem proh dolor! fuisse, sibimetipsis irascuntur. Eorumdem trepidationi certe ignoscendum; nec ipsi in crimen vocandi, si inoculationem respuunt, aut inviti ad eamdem alliciuntur.

Obstabat igitur ad universalitatem inoculationis mors una ex centum inoculationibus. Obstabant et aliae rationes, scilicet quod aliquando Variolae insititiae confluentes ac periculosae extitissent, et quandoque complicatae cum alio aliquo morbo exanthematico. In multis ulcera diuturna, eresi paelata, abscessusque varij; itemque nunnulli, qui insititias cum habuissent, in naturales dein incidissent. Quibus, aliisque si addantur Medicae rationes a multis doctissimis alioquin viris conquisitae, atque ad trutinam non semel revocatae, mirum jam cuique sapienti non erit, Haenium, Morgagnum, Dalembertium, Parolinum, aliosque contra inoculationem insurrexisse,

atque in contrariam sententiam descendisse. Fuerunt et alii, qui religionis causa moti contendebant, hanc insitionem cum naturali, divinaque lege pugnare. Quorum haec erat potissima ratio, quod Variolarum insitione, in corpus humanum venenum introducitur, atque exitialis morbus excitatur. Alii tandem experimentis demonstrare conati sunt, Variolarum insitione, non unum ex centum, sed plures fuisse necatos; et insuper qui a morte liberi evaserunt, eorundem tamen corpora ob peractam insitionem non fuisse defecata, a pravis, nescio quibus, humoribus, atque valetudinaria per totum vitae curriculum effecta. Hinc inferebant nec humanam, nec divinam rationem; nec eventum constantem; nec experimentum tutum, certum exhibere pro inoculationibus argumentum, ac propterea illas ipsas ab orbe toto eliminandas (a). Tanta ne Medicorum ira contra utilissimum caeteroquin inventum? Impendebant ne inoculationi hæc fata, ut parentum trepidationibus, medicorum difficultates adderentur? Non mirandum. Inventa enim omnia primitus incredulitati, malitiæ, ac cæteris humanis passionibus subiiciuntur. Variolarum inoculatio magis magisque difficultatibus premi debebatur, quia, uti vidimus, etsi utilis, attamen ob nonnulla incomoda ingruentia aut supervenientia, nec certa omnino, nec omnino expetibilis reddebatur. Sed aderat tamen per Deum immortalem utilitas, ratio humana, divina, eventum perseverans, experimentum tutum, nec profecto illa exequias merebatur. Hinc Medici de inoculatio-

(a) V. Praelectiones Anton. de Haen in Institut. Patholog. Herman. Boerhavii Tom. 2. Inoculat. Var. Cap. I. pag. 554. & seq.

nibus agentes, in duas factiones, veluti in duas sibimet contrarias acies divisi, et favebant, et contradicebant. Pugnarunt contra illas jam supra laudati Viri, veluti Hectores, Adimantes, Palamedes Variolarum naturalium. Steterunt fortiter, constanterque pro iisdem, Achilles, Ulisses, Pirri, tales enim reputandi sunt pro ea, Hallerus, Gaubius, Senacius, Trallesius, Tissotus et Gattus noster, qui experimentis, rationibus, observationibus innixi, sic innoculationum utilitatem, necessitatemque vindicarunt, ut postea vix Medicus aliquis fuerit qui dubitaret, utrum recte nec ne se gesserit, cum suscepisset.

Universalem tandem futuram inoculationem, labente sæculo XVIII auspicati fuimus. Quid enim supererat, cum Medici pene omnes in eam consentirent? Amor certe parentum in filiis innoculationibus subiiciendis: dicam melius, timor præ amore, ne mortem quisque in proprio filio experiretur. Sola ne hæc erat parentes repugnantia vestra? Patres, Matres tandem gratulamini. Ne unus quidem filiorum vestrorum, propter Variolarum insitionem in posterum peribit. Inventum novum, nec majus forsan in medicina extremis saeculi XVIII annis ars medica fecit. Sævissima Arabum Lepra, inurbanis remediis, scilicet miseris derelictis, atque ab omni consortio humano remotis, post multas clades penitus aufugit. Variolas humanas, novis Variolis in Vaccis detectis è terra delebimus. O rem memoriæ literisque mandandam! Sed immorari in his tempus non sinit; scilicet omnia persequi, quæ hucusque mirabile inventum præcessere, aut subsecuta sunt. Potiora tamen delibabo huic disquisitioni accomodata, cum et supervacaneum putem ultro immorari in re lippis et tonsoribus nota atque comperta.

Dudum in Agro Glocestriæ in Britannia, Vaccæ in mammis pustulas talis notæ passæ sunt, ut homines qui ex his lac extrahebant, virus inter pollicem atque indicem manus contraherent, et ibi mox in pustulam conversum, lævissimo morbo illos afficiebat, et hinc hi a Variolis naturalibus per totum vitæ curriculum vacabant. Mirandum ante Jennerum, de humanitate optime meritum nullum medicum extitisse, qui re perpensa ac meditata, optimum omen contra Variolas naturales ex hac auspicatum fuisse. Contigit certe primum uni huic in aperto ponere, homines a pustula Variolarum Vaccarum semel divexatos immunes in posterum omnino fieri a Variolis naturalibus, etiamsi inter sævas epidemicas Variolarum constitutiones vitam agerent. Et primus ille expertus est, eos ipsos, qui jam pluribus ab hinc annis, Vaccinationem habuerant, inoculationi Variolarum naturalium subiiciendo, incolumes a Variolis esse, atque in posterum fieri. Eventu tam fausto tamque secundo excitatus, ausus est, nec temere, in corporibus alioquin sanis, nec a naturalibus Variolis labefactatis, Vaccinarum virus per insitionem traducere. Arduum sane experimentum quodcumque novum; periculosum certe in corpore humano iniri, dixerat jam Hippocrates. Dubium profecto quoad eventum haberi fas erat, cum effecta in corporibus humanis nondum comperta fuissent. Attamen neminem fore non dubito qui putet, cito ac festinanter, ne forsan novitatis palma spoliaretur, insitiones variolarum Vaccarum in corporibus humanis Jennerum instituisse, hinc arrogantiæ, temeritatisque esse arguendum. Quinimo et mirari magis nobis contingit, cum ille sagax ac prudens, post inventum, non ut olim Archimedes, qui exiens è balneo, quo methodus extimandi corporum specifi-

eam gravitatem , atque problematis Hieronis solvendi inventa, lætus per totam Urbem excurrens fertur exclamasse „ inveni, inveni „ sobrius inquam ille, ut mox est Britannorum, nemini observata per plures annos revelavit, (a) atque in semetipso ita compressit, ut non prius quam anno 1788, quo tempore jam plures insitiones vaccinarum feliciter expertus erat, publice commendaverit, atque innumeris vaccinationibus per decem annos peractis, iterum in his qui vaccinationem subierant, Variolis naturalibus incassum tentatis, novum atque tutum inventum typis mandare constituerit.

Hac novitate commota est jure meritoque tota Britannia; neque uti evenire solet cæteris inventis, fuit et hoc, fluctibus primum incredulitatis, dein contradictionibus, sarcasmis, objurgationibus subjectum. Quinimo huic contigit, ut per totam Britanniam, fautores in arte medica peritissimos, assentatores in populo, ac patronos in magnatibus invenerit. Nec in Britannia tantum, sed in cæteris Europæ provinciis, nimirum in Helvetia, Germania, Italia atque Gallia, laudata nova insitionis methodus cognita atque probata, usuque felici consacrata fuit (b). Quin et in novum orbem delatam, vetus ac lethale vene-

(a) Usque ab anno 1777 Jennerus Variolas Vaccinas detexerat. Anno 1788 insitione ab ipso feliciter in corpore humano invecta, eam ut tutam ad præcavendas variolas naturales, palam asseruit, & commendavit. Tantum anno 1798 universaliter in Britannia & extra fuit accepta, post innumera Jenneri ac tutissima experimenta, typis vulgata. (Vid. in Diario Britan. 3. Julii an. 1806.)

(b) Anno 1801. per totam Europam continentalem Vaccinarum insitio ferme fuit accepta (ibidem.)

num, quod per tria jam antea sæcula illis in provinciis grassabatur, non tantum emendare, sed et omnino deleri sperandum est (a). Hoc ipsum inventum acclamatum ubique, atque ubique probatum, dubium omnem de ipsius utilitate atque præstantia super Variolas humanas, e mente propulsat. At si quis forte adhuc dubitet an hoc novum sit veteri præponendum, consideret, quæso, vetus in corpore humano febrilem morbum, ipsumque gravissimum persæpe excitare, cui non raro, eruptio copiosissima subsequitur, symptomatibus nec levioribus ut plurimum stipata. Cæterum in Epidemiis lethalibus, Variolas etiam insititias, convulsionibus, eclampsia, vermibus, cæterisque affectionibus, morbis acutis communibus, concitari, atque ex his effectus tristes promanare, experientia constat. Vacare è contra his affectibus insitionem Variolarum Vaccarum, qua benignissimus morbus, quem vix febrilem licet appellare, excitatur; nec pustularum eruptio, nisi in locis quibus inseritur habetur, atque illæ ipsæ quæ superveniunt benignissimæ sunt, et regulariter suum curriculum absolvunt. Insuper Variolæ humanæ, sive naturales, sive insititiæ, admodum sunt contagiosæ, atque Epidemias in locis ubi grassantur, excitant, ut plurimum, et nonnisi summa difficultate possunt homines ab his sese expedire. Nequaquam vero id est timendum a Variolis insititiis Vaccarum, quia morbus contagiosus usque adhuc non est compertus, et necessario insitio requiritur, ut in corporibus excite-

(a) In America tum Occidentali, cum Meridionali, Vaccinationem novi orbis habitatores laeto animo acceperunt, ac utiliter in dies experti sunt. (Vid. in Diario Britan.)

tur. Denique decem mori è centum a Variolis naturalibus; unum è Variolis naturalibus insititiis; nullum è Variolis insititiis Vaccarum, ex tot millibus inoculatorum, res facti est compertissima. Vetus ergo insitio Variolarum naturalium, cum insitione Vaccinarum comparata, merito huic posthabenda, atque omnino illa omittenda. (a)

Non me tamen latet, a clarissimo Woodvillo unum occubuisse, multosque alios copiosis postularum eructionibus subjectos fuisse. Notat enim Odierus plures casus Vaccinatorum, in quibus non solum eruptio copiosa adparuit, verum etiam pustulæ similes variolis naturalibus spuriis aliquando advenerunt, quod jam Jennerus ipse adnotaverat, ac interpseudo - Vaccarum Variolarum eructiones retulerat. Insuper scio aliquis dicere, nonnullos post veram perfectamque vaccinationem, Variolis naturalibus iterum obnoxios fuisse, præsertim si inter sævas variolarium naturalium Epidemias vitam degerent. Et hæc duo tantum, ni fallor, erant fortasse, quæ Variolarum Vaccinarum præstantiæ obiiciebantur, ita ut, ob hæc ipsa, nonnulli novam inoculationem, ad futilia inventa

---

(a) Mihi lubet in exemplum hic referre status mortuorum è variolis naturalibus Civitatis Viennæ, ante an. 1802, quo Vaccinatio inibi est invecta, atque executioni mandata. E' catalogis constat, quotannis circa 835 e Variolis naturalibus decessisse. Anno 1801, scilicet anno primo Vaccinationis, 61 è Variolis naturalibus occubuisse. An. 1803, 27. An. 1804, 2; ita ut dici merito possit, 833 homines Variolas Vaccinas insititias a morte liberasse. Lukni in India quotannis a Variolis naturalibus 610 interibant. Anno 1805 ob Variolarum vaccarum inoculationem, 76 tantum ex naturalibus occubuisse (in Diar. Britan. cit.)

amandandam fuerint arbitrati. Verum, ut apposite ait d'Alembertius, tam fautores quam detractores hac in quæstione bona fide utantur oportet, ut veritas elucescat atque refulgeat. Oportet inquam res tales, quales fuere candide enarrare, & tunc facile quid innoculatio Variolarum Vaccarum faveat, quid adversetur, & an expediat eam amplecti, aut relinquere, patebit.

Variolæ Vaccinæ primum distinguntur juxta mentem Jenneri in veras ac falsas. Primæ a Variolis naturalibus in perpetuum liberant; alteræ vero nequaquam. Hinc alteras ab alteris distinguere necesse est, ne in errorem unquam recti specie decepti, rapiamur. Veræ Variolæ Vaccinæ ut plurimum suum absolvunt curriculum in his ipsis locis quibus appositæ sunt; in pustulas elevantur, quæque ex pluribus corymbosis pustulis in fastigium coacervatis, coagmentantur; inflammationem in loco insertionis nec levem excitant, & mitissima febri, septima, aut octava die superveniente, comitantur, et pene quatuordecim dierum spatio, suum curriculum absolvunt. Spuriæ vero in plures pustulas sese exhibentes, brevi tempore suum cursum expediunt; levem excitant inflammationem in vulneribus, quibus virus insertum est; & humor pustularum, non ut in veris, in tumorem sub cute elevatur, sed reptando potius inter cutem & cuticulam, brevi tempore evanescit. Sic aliquando evenit, ut humor Variolarum Vaccinarum licet optimus in corporibus non recte valentibus insertus, aut in his ad morbos pronis, pro vera, pseudo-vacinationem una cum morbis quibus erant dispositi, excitaverit, atque ægroti Variolis naturalibus iterum obnoxii fuerint; aut pustulis mali moris pseudo-Vaccinarum obruti, fato cesserint. Sic illum Woodvilli interiisse sentio, et sic alii occubuere. Sic nobis

casus infaustus evenit ; ob quem in Civitate & aliunde susurrabatur contra Variolas Vaccinas ; interitus scilicet Puellæ , quæ quinta die post inoculationem a febre acuta putridæ indolis fuit correpta, & subsequentibus diebus septem pseudo-Variolarum Vaccinarum pustulæ , eæque latæ & depascentes adparuere , suumque curriculum celeriter ac irregulariter explevere , & postea fato occubuit. Non culpanda igitur vera Vaccinatio si alicui hinc auferatur vita , cum ex tot millibus inoculatorum , ne unum quidem adhuc , vera adhibita vaccinatione, interiisse compertum sit. Dolendum sane optimum pus aliunde in corpore degenerasse , saltem in casu a nobis experto , cum a puero , sanæ cæteroquin constitutionis , veræ Variolæ Vaccinarum excerptæ fuere, quibus duas insitiones instituimus, faustam unam, lethalem alteram experti sumus. Degenerasse siquidem pus in corpore non sano , in pseudo-Variolas, ob pravam corporis constitutionem , non temere hoc in casu arbitrabamur . Et licet Woodvillus , aliam afferat infausti eventus rationem , existimans scilicet , eas tantum Variolas adparere falsas , quæ a pustulis veræ quidem Variolæ vaccinæ excerptæ fuere , at non ex his per insitionem , sed per corpus hinc inde excitatæ , forsan aliquo vitio affectæ , atque in aliis corporibus alioquin sanis introductæ. Ratio tamen mihi minime arridet ; nam fieri non potest , ni fallor , ut idem pus in corpore per insitionem invectum , Variolas ad locum insitionis optimæ notæ excitet , ac cæteris corporis locis pseudo-Vaccinam, seu falsas pustulas suscitet . Cæterum , si a veris Variolis insertis, vera æque ac falsa vaccinatio in eodem corpore, ac uno eodemque tempore excitaretur , procul dubio eveniret , Variolas post inoculationem absorptas , ac per circulationis ambitum traductas ,

degenerare, & tunc dispositionem ad contrehandas Variolas naturales nequaquam destruere. Nam Jennerus et alii necessario ponunt, virus Variolarum Vaccinarum per totum corpus deferri ac in girum agi, ut apertissime demonstrant, febres excitatæ statuto tempore, vomitus, materiæ Variolarum transitus ad glandulas axillarum etc., quæ omnia in corpore humano migrationem puris omnino demonstrant. Hinc mihi consequens videtur, Variolas veras commutari (dato quod commutentur) in corporibus tantum ad alios morbos dispositis, uti evenit in Variolis naturalibus, quæ mali moris characterem induunt, juxta corporum dispositiones quibus copulantur; et nunquam alicui aliæ mutationi subiiciuntur, sive naturales illæ sint, sive Vaccinæ, dummodo in corporibus sanis ac bene constitutis insinuentur. Sic puto Variolas veras in spurias commutari ob corporis tantum morbosas constitutiones, juxta philosophicum illud effatum „ quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur „ Hinc et a spuriis Variolis insertis, spuriæ excitantur, uti evenit mihi in puero, in quem bis verum Variolarum Vaccinarum pus incassum insinuavi: et cum tertio pus a pseudo-Variolis e puella paucis horis ante mortem excerpsi, ac illi insitivi, copiosissimum exanthema mali moris ad cutem adparuit, ac longissimum curriculum, absque mortis tamen periculo, explevit. Tenendum itaque est, casum mortis, minime a vera vaccinatione promanasse, sed a spuria Vaccinatione, a pseudo-vaccinatione, si ita placeat appellare, eructionem Variolarum vaccinarum memoratam, ac cum febre acutissima aliquando conjunctam; quibus in casibus, non mirandum si inde mors subsequatur, uti subsequitur in Variolis naturalibus his febribus socia-

tis, in morbillis, cæterisque morbis exanthematicis febrilibus.

Itaque propter hujusmodi adventitios casus, Variolarum vaccinarum virtus, nulla prorsus ratione minuitur; sed inde edocentur Medici non temere, ut animadvertit Jennerus, hanc operationem suscipiendam. Imminueretur certe, uti clarissimus Batt sentit, si pus vaccinarum alios morbos præter Variolas vaccinas excitare potuisset (a). Sed cum pus vaccarum, ut plurimum veras Variolas producat, et rarissime, ac nonnisi in corporibus non sanis, falsas excitet, satis nobis erit cognoscere, quando vera vaccina ex inoculatione appareat, quando falsa, ut hæc iterata inoculatione, a Variolis naturalibus tuta efficiamus. Certe si post perfecti puris vaccinæ peractam in corpore insitionem, iterum idem corpus variolis naturalibus obnoxium deprehenderetur, vaccinationis virtus non solum elevaretur omnino, sed ut noxia etiam esset habenda, ac eliminanda. At hoc malum minime timendum. Innumera siquidem experimenta hucusque habita demonstrant, insitiones scilicet Variolarum naturalium in illis institutas, qui vaccinationem jam fuerant experti, inutiles ac supervacaneas fuisse, id quod fatentur omnes. Demonstrant instituta illa ad insitiones promovendas, in Anglia primum (b), dein in Gallia, demum in Italia supe-

---

(a) D. Rowley, qui contra Variolas Vaccinas sentit, asserere non dubitavit, ab insitione Variolorum Vaccarum, alios morbos gigni, uti scrofulas ec. Hisce objurgationibus feliciter respondit D. Guglielmus Blair, atque insitionem perbelle his neniis liberat. Diar. Litter. Britannico Junii an. 1806.

(b) Res mira, sed vera, Vaccinationem, inventum

riore erecta; quibus in locis philantropia provocavit et auxit. Demonstrant leges atque mandata per universum Imperium Gallorum, atque Regnum Italiæ evulgata, quibus statuitur, ut insitio Variolarum vaccinarum in posterum tantum teneatur. Demonstrant denique progressus inoculationum, quæ peractæ fuerunt in Hispania, Lusitania, Svecia, Borussia, ac in novo Orbe. Putandum hinc licet, vaccinationem brevi tempore per universam terram, absolutum imperium consecuturam ita, ut altera vetus insitio in oblivionem sit amandanda.

Falso igitur opinantur sive philosophi, sive Medici si qui sint, sive Parentes, seu novi inventi detractores, Variolas naturales, post vaccinationem posse reverti. Falso iterum dico, cum clarissimus D.Saccus, ille qui primus in Vaccis Italicis indigenas Variolas detexit, quique preæst Vaccinationibus per universum Regnum Italicum, cum inquam, observaverit illos, qui vaccinationem subierant, incolumes vixisse, inter sævissimas naturalium Variolarum epidemias, nec unquam iterum easdem expertos fuisse. Quidquid contra testentur alii, certum est eisdem ipsis corporibus jam antea vaccinationi obnoxiis, insertas dein fuisse Vario-

scilicet tutissimum, humanissimum, hodie in Anglia, in Patria ipsa, qua primum emersit, obsolescere atque contemni, uti Minister Petty in pub. Parlamento apertissime significat. Et revera cum intra sex annos ante Variolarum Vaccarum inoculationem Londini ex Variolis naturalibus 1801 pueri interiissent, atque anno I. Vaccinationis, tantum 611 occubuissent, infirmata tunc, fato quo nescio, inoculatione, anno 1805 numerus defunctorum è Variolis naturalibus ad 1685, pervenit; uti ipse publice non sine dolore profitetur. Diario Britannico cit. an. 1806.

las mali moris, et tamen nullum effectum sortitas fuisse. Et nos, qui vere ac æstate tota hujus anni (1806.), inter sævissimam Variolarum naturalium Epidemiam, in qua nec pauci è vita decessere, versati fuimus, addere fidem certissimam, firmissimamque, possumus; scilicet illos qui veras Variolas Vaccinas sunt antea experti, nequaquam Variolas naturales passos esse, etiamsi ipsi inter pueros ab his Variolis nec optimi moris detenti verсarentur, uti innumeros casus hic referri possemus, nisi prorsus esset inutile. Itaque immunes esse omnino a Variolis naturalibus illos, qui Vaccinationem experti fuere, merito prædicamus. At si forte aliquando acciderit, ut nonnulli perhibent, accidisse, Variolas naturales, easque benignissimas illos ipsos qui vaccinationem experti fuerant dum sævæ Variolosæ constitutiones grassantur, conflictare, non mirandum, cum non raro acciderit illis, qui inoculationi Variolarum naturalium subjecti fuerant, in his circumstantiis benignissimas Variolas expertos fuisse. Quin imo accidit aliquando, ut post naturales Variolas, in Epidemicis variolarum constitutionibus, iterum has nonnulli passi sint, uti viri in arte clarissimi, fideque dignissimi, asseverant atque tuentur (a). Mihi tamen pro certo erit, uti experientia hucusque demonstrat, post veram, perfectamque vaccinationem, minime Variolas naturales his in corporibus sævire. Itaque tot tantisque experimentis observationibus datis, tot tantisque testibus atque patronis gravissimis laudatis, reor certe nullum sapientem futurum, qui de hac ipsa vaccinatione valeat ambigere. Et re quidem vera sustinet hanc thesim universalis consensus, qui

---

(a) Vid. Burserius Institut. Medic. Prat. Tom. 3. aliique.

Variolarum vaccinarum insitionem, ubique tuetur atque amplectitur. Nostra et Hetruria confirmat (ut patrio exemplo utar) quæ prima olim Variolarum naturalium insitionem in Italiam invexit, quæque, nescio quomodo, ultima ferme fuit in vaccinatione amplectenda.

Ab anno 1801 usque annum 1804 nonnisi perpaucas Vaccinarum insitiones Florentiæ Medici pertentarunt. Sic apud nos (nec certe fuit Senarum Urbs secunda inter Civitates Hetruriae, quae vaccinarum Variolarum insitionem invexit) Æstate Anni 1801, primam vaccinationem instituimus. Cum vere ejusdem anni, ob amicitiam, benevolentiamque Clar. Doctoris Aloysii Targioni, a sagacissimo Marshallo Classis Mediterraneae Regis Britannorum Medico pus accepissem, ac primus procul dubio in Civitatem invexissem, atque hinc mihi a clarissimo, humanissimoque Bernardo Lessi, qui tum Hetruriae gubernaculum una cum Commilitionibus praestantissimis dirigebat, quique nunc Justitiae Supremo Tribunali non sine laude preest, iterato missum, ut illud experirer atque novum inventum observationibus confirmarem, una cum Sociis in Universitate praeclarissimis prima pericula suscepimus (a). Et cum haec nec fausta omnino nec infausta fuissent (quoniam ex septem vaccinatis mense Julii ejusdem Anni, quatuor tantum veram vaccinationem

---

(a) Adfuerunt Claris. Profess. Joseph Lodoli Medicinae Clinicae P. P. Nicolaus Semenzi Anatomiae P. P. Anastasius Gambini Obstetriciae P. P, & D. Marcus Giacchi Clinicus expertissimus, operamque mecum primis tentamentis dederunt. Vid. Nuovo Giornale dei Letterati Part. 2. del Volume I. An. 1804. *mes. di Luglio, e Agosto*.

sint experti; in quinto licet non semel iterata vaccinatio, haud prospere evasit; sextus ob falsam vaccinationem occubuit; in septimo tandem insitio ipsa inefficax prorsus fuit, sed alio morbo interemptus), feliciter laeto omine vere anni 1804 obtinuit effectum, ac in honorem haberi cæpit. Cum primum periculum, idque faustum vir nobilis Philosophiae ac Medicinae peramantissimus, pacato animo ac tuto, in propriis filiis, hisque tenellis instituisset, auxit animum caeteris, deditque profecto magnum Philantropiae documentum, quo certe civicam coronam promeruit. Ipsius exemplum, et alii ex caetu Nobili, atque alii ex aliis Ordinibus secuti sunt, ita ut verendum non esset, quin haec inoculatio, si caute ac prudenter adhiberetur, quam citissime universalis eveniret. Haud immerito tamen. Quisnam vero morbum levem prae gravi morbo recuset? Quisnam, compos sui, post tot tantaque experimenta cum Variolis Naturalibus in vaccinatis dein incassum tentata, non reputabit, hanc ipsam vaccinationem veteri insitioni esse praeferendam? At Genus humanum ratione prae cæteris animantibus praeditum, nequaquam ea utitur, aut ocius ad ipsius bonum experiendum flectit; nec vincit certe ratio, nisi experimenta, observationes, exempla suadeant, ac apertissime ostendant, quid utile, quid non, quid rectum, quidve damnosum, exitiosumve sit. Experimenta autem, inoculationes vaccinas in dies, gratas, acceptasque omnibus apud nos reddebant; tuta ac felicissima experimenta, omnibus gratas in posterum efficiendas esse haud dubitandum. Et reapse cum hae inoculationes Variolarum vaccinarum, faustissime hac in Civitate per totum annum 1804 institutae sint, non tantum apud Medicos his minus faventes, quantum apud Parentes non paucos gratiam invenire caepere. Vere anni 1805 auctus est hinc

inde numerus inoculatorum intra muros Civitatis et extra, et magis, magisque adamare eas non repugnantes, atque inviti haud reformidare, non sine oblectamento et gaudio mirabamur. Autunno ejusdem anni, nova methodus in Scotia primum inventa forsan a D. Bryce (a); in Gallia a Claris: Valentin; in Germania a D. Umberlacher repetita (b), ac in Hetruria a benemeritissimo viro Aloysio Blasinio Professori Pub. Ostetriciæ Pistoriensi invecta, feliciterque usu propagata (c) hanc ego in Patria Amiatina felicissimo aventu expertus sum (d). Scilicet pulverem e pustulis Variolarum Vaccarum exiccatis ac deciduis, iniciendo inter labia levissimi vulneris in cute creati, ibique aliquo apparatu contentum. Et cum hinc ab ipso Blasinio tribus et sex mensibus paratus in quinque pueris optimas variolas mihi dedisset, comperta utilitate novae methodi, qua spuriae Variolae non habentur (uti laudati Auctores asserere non dubitabant), comperta facilitate servandi per plures menses ejusdem Variolae contagium, ac longe, lateque mittendi, auspicatus sum. et in Civitate quam citissime adhibendi. Et cum inoculationes Va-

---

(a) Vid. Bibliotheque Britannique; et Resultats de l'inoculation de la Vaccine dans les departementes de la Meurthe ec. par Valentin.

(b) Ibidem.

(c) Vid. Magazzino di Letter. Scienze Arti, e Commercio compilato da Accademici Italiani vol. 8. Mese di Agosto, Anno 1805. pag. 37. Letter. di Luigi Biagini Prof. di Chir. ed Ostetr. all'Illustriss. Sig. Dott. Pietro Visconti Med. di Cam. di S. M. la Regina Reggente di Etruria.

(d) Vid. Magaz. di Letter. ec. Mese di Ottobre An. 1805. Vol. X. Letter. del Dott. Giacomo Barzellotti al Sig. Dott. Luigi Biagini.

riolarum Vaccarum non tantum per totum Autumnum, sed et per Hiemem, ut pus ad ver usque servaretur, prosequerentur, cumque eo tempore Variolas naturales intra muros accessissent, occasionem nactus sum, non tantum methodo Janneriana, ceu antiqua, inoculationes nec paucas facere, uti Professores in Universitate, ac ferme omnes Clinici Civitatis innumeras instituebant, sed et novam adhibere, factum hinc inde est, ut una vel altera Methodo, plusquam millenos a mense Martii usque ad mensem Augusti è Variolis Vaccinis inoculati sint, ac ne unum quidem non tantum interiisse, quantum nec contra votum cessisse palam omnibus notum est. Hoc interim Variolæ naturales undique saeviebant; ac multi, qui ab ipsis erant detenti, miserrime interibant; multi gravissimis morbis discruciabantur, multique aliqua parte ipsorum corporum, laborabant, ac deformes evadebant. Hisce funestissimis exemplis in dies magis magisque auctis Parentes territi, de vita, et sanitate Liberorum desperantes, ad inoculationem vaccinarum innumeris casibus felicissime comprobatam tamquam ad sacram anchoram confugere; & Medici fere omnes nanciscebantur occasionem, pro meritis eam laudare, extendere, propagare, atque universalem efficere, tam in Civitate, quam in Provinciis, in quibus felicissime et cognita, et probata a Medicis saltem erat. Inoculabamus enim omnes variolas vaccinas sive pueris sive adultis, qui a Variolis naturalibus nondum erant salutati, præsertim cum naturales Variolæ in pessum irent, ac prolem necarent. Tantoque magis cordi erat eas extendere ac propagare, ut Variolis naturalibus locum in corporibus, atque pabulum, ut ita dicam, igni auferreretur. Nec timor nos retinebat quin in aliquos forte incideremus etiamsi ante inoculationem vaccinarum

naturale hujusmodi venenum contraxissent, quia pro certo habebamus, conditiones ipsorum nondum pejorare, si uno, eodemque tempore unumquodque venenum suam vim, suumque vigorem ostenderet, atque explicaret. Experientia jam probaverat aliquo eventu aliunde id accidisse, atque utrasque Variolas feliciter suum cursum absolvisse, forsan invicem specificam vim mitigando. Et reapse quod prævidendum erat, accidit pluribus in casibus. Nam, cum inoculatio Variolarum Vaccarum locum habuerit in Pueris cæteroquin sanis, nec a suspicione aliqua Variolarum naturalium affectis, utrasque Variolas effloruisse uno eodemque tempore, et his in aliquibus circumstantiis videre, dignumque notari datum fuit, Variolas naturales optimæ indolis fuisse, dum vaccinae integre suum perficiebant curriculum, et circa pustulas vaccinas, naturales locum nullo modo habebant, non sine oblectamento a nonnullis Medicis præstatissimis, fideque dignissimis perspectum, mihique est assertum (a). Quod si casu accideret, ut Variolæ naturales dispositionem jam indidissent eo tempore, quo Variolæ vaccinæ inoculabantur, tunc hæ irritæ evadebant, et naturales libere suum absolvebant cursum. Nihilominus nullum casum usque adhuc habuimus, quo ex peracta inoculatione vaccinarum aliquis occubuerit, quamvis inter plures a naturalibus Variolis affectos mors discurreret. Contenti igitur nos eramus eventu, sive quod Variolas vaccinas ex inoculationibus haberemus, nec ex 10 o. forsa

---

(a) Claris. Profes. Lodoli alterum casus hujusmodi vidit in Clinica inoculatorum, & alterum ut cæteros omittam, expertis. Chir. Carolus Sticotti, de Vaccinatione optime meritus. Alterum et ego.

casibus in unum incidimus, sive quod utraeque, aut naturales tantum locum haberent, nec nobis fervor inoculandi ob timorem naturalium minor in dies erat. Sic factum est, ut inter sævissimas Epidemias Variolarum naturalium, vaccinas induxerimus, ac quasi Milites ad defendendam, tuendamque sanitatem, contra illas in arcem corporis sani, nec contaminati ab his, sedulo collocavimus. Et revera semper sic bene res cessit, ut undique vaccinati ab his Variolis naturalibus, pessimisque etiam moris circumsepti, ipsius sanguinis pueri, in ipsa domo morantes, ipsoque cibo utentes, sic incolumes a Variolis naturalibus fuere, suntque et hodie, ut contra fidem, contra rationem, contraque evidentiam ageret si quis dubitaret, utrum Variolæ Vaccinæ a naturalibus liberent. Contendebant nonnulli, ut fidem adhiberent his Variolis, quod vaccinati inter sævissimas epidemias Variolarum naturalium immunes evaderent. (a) Sed et nostri vaccinati incolumes a Variolis naturalibus, inter sævissimam hanc Epidemiam fuere; ergo fidem haud dubiam ipsis Variolis vaccinis tribuendam esse nemo dubitabit. Vim novam etiam acquireret argumentum, addendo, vaccinatos non solum inter Variolas naturales immunes esse, verum etiam si uno, eodemque tempore post absolutam vaccinationem, iterum variolas naturales in his corporibus indidixemus, uti clar. Prof Lodoli hic fecit, nec non alii in Anglia, Gallia, Germania in millenos vaccinatorum fecere, dubitandi nullus erit locus.

(a) D. Willisius Anglus inter caeteros, hoc tantum pretio, fidem Variolis Vaccinis praestandam esse declaravit.

Quidnam igitur superest ut hæc inoculatio ab universo Mundo accepta habeatur? Et Pirronistæ non desunt, et homines titubantes, et invidiosi nec non contradicentes, atque alii contra veritatem, contraque lucem ipsam pugnantes. Reponunt nonnulli forsan, Variolas vaccinas a naturalibus non liberare, quia uno, eodemque tempore (uti supra asserui) utrasque locum habere possunt. Alii, qui ipsas aliquando insertas, irritas omnino fuisse, atque naturalium cursus haud suspendisse; uti apud nos evenisse fateri non erubescimus. Falso tamen, id asseritur, defenditur. Nam, Variolæ vaccinæ, dum insitæ sint in corporibus alioquin a miasmate Variolarum naturalium infectis, etiamsi virus ipsarum erumpit eo loco, quo insertus est, nihilominus, cum a naturalibus prædispositio universalis indita sit per totum corpus, effectus earum localis tantum est; uti et est localis Variolarum naturalium, postquam Variolæ vaccarum plenissimum curriculum sunt absolutæ. Minime ergo attendenda argumenta naturæ hujuscemodi contra novum inventum. Erit ne magis illud, quod a Variolis vaccinis veris, spuriæ vaccinæ aliquando enascantur? Sufficit ad hoc, ut Medici sedulo invigilent, ac recognoscant, utrum vera sit an falsa, et hinc si pseudo-vaccina supervenerit, ad novam inoculationem confugiant; (a) nec

---

(a) Nonnulli mihi casus pseudo-Vaccinae usque adhuc acciderunt, quos hic referre haud inutilem duxerim, nisi communes aliis pluribus a Medicis pene omnibus inoculationem Vaccinam prosequentibus, essent, quibus variolæ naturales postea accessere, quaeque ullo modo virtutem preservatricem verae Vaccinae haud infirmant.

erit unquam argumentum satis grave ad infirmandam Variolarum vaccarum virtutem ullo modo. Tandem erit ne maximum illud, nescio an magis a Populo, quam ab Agyrtis ac pseudomedicis in medium adductum, scilicet Variolas Vaccinas insititias, uti olim culpabantur insititiæ naturales, corporis humores, nescio quos, non defecare, atque alios ad morbos disponere? Erit ne auscultanda rursum, terque, quaterque repetita illa cantilena, usque adhuc inoculationibus Variolarum naturalium tributa, hodieque et vaccinis celebrata ad nauseam, scilicet morbos fere omnes quotquot vaccinatis superveniunt, sive leves sint, sive lethales, ob non defecatos humores ab insititiis vaccinis promanare! Sic vermes, epilepsiam, sic dissenteriam, diarheam, sic icteritiam, et si quas alias affectiones ab ipso fonte provenire! Et quod arduum est, ac pene incredibile, dum forte eveniat, ut aliquis è vaccinatis pereat post exactum, felicemque vaccinarum curriculum, alio, eoque morbo diversissimo, ac communissimo, etiam post mensem, Variolae (pro nefas!) culpantur, atque in caussas recensentur. Si aliquis forte è vaccinatis tussem catharralem contraheret, ac raucus evaderet, mirandum non esset, istorum quemque, uti apposite dixit Blair (a), deliret illum vaccinæ vocem, mugitumque assumpsisse. Tanta est difficultas in stabiliendis novis veritatibus, etiamsi ex sibimetipsis clara luce refulgeant. At inter contradictiones, veritas altas agit radices, & raboratur veluti quercus Alpina Aquilonibus agitata. Sic Vaccinæ Variolæ, inter

---

(a) Giornale Letterario di Londra, Mese di Giugno 1806. La contezza della Vaccina di Blair.

contradictiones magis, magisque divulgatæ sunt, cognitæ, scrutatæ, atque ob effectus ipsarum perspectæ, et in melius de die in diem adhiberentur. Sic nos, innumeris observationibus confirmati, inoculationes Variolarum vaccinarum prosecuti sumus, utraque methodo, et prosequimur, omnibusque ut tutam, et certam, lubentissime prædicamus (a). Garriant igitur, blaterent, objurgent detractores novi inventi; hoc stabit, nec timebit afrum decertantem Aquilonibus; et tunc, ut auspicamur, Variolæ veluti sævissima pestis, arcebuntur omnino; io triumphe canemus, ac in animis hominum, in temporum æternitate, Variolarum vaccinarum fama manebit.

Tuta ergo, ut probare hac disceptatiuncula proposueram, mihi concludere liceat „ tuta tandem vita, et sanitas a Variolis „ Et cum res procul dubio ita se habeat, Medici operam strenue dent, ut inoculatio Variolarum vaccarum undique propagetur, universalisque fiat. Parentes eam læto animo amplectantur. Principes ac Magistratus faveant atque tueantur, ne dicam præcipiant, ut omnes huic subiiciantur, & homines in posterum a Variolis liberentur. Parendum est atque id optimum judicandum, dixit Cicero, quod est sapientissime atque evidentissime constitutum. Quidquid evidentia demonstrat, ratio humana suadet, humanitas exposcit, relligio probat, observatio, experientiaque confirmat, atque in tutum ponit, refellere nisi stulte non licet.

FINIS.

(a) Inoculandi methodum novam veteri præferendam, quia hucusque in plures inoculatos a me, a juvene Chymico optimae spei Johanne Grifoni, atque ab aliis hujus Civitatis Medicis Clarissimis, hac methodo nec unum a spuriis Variolis detentum esse vidimus.